

In qua cum gente sua per tres stetit annos; volens quoque ad Gallorum patriam accedere Collonium et Magantium¹, viros ferocissimos, in ea reliquit, quorum quilibet suam condidit civitatem, Collonius Colloniam hedificavit, Magancius Magantium. Perveniens igitur magno labore ad Gallorum patriam conatus est ipsam summa vi superare. Cognoscens terram illam viris nobilibus et prudentibus decoratam, auro et argento et omnibus bonis copiosam, civitatem, que nuncupata est Parisius² a Paride conditore suo, et³ multa loca civitatis ibidem constituit et fieri fecit. Vixit autem Paris in ea provintia per duo lustra, quibus evolutis nature concessit. Anno vero transacto Helena uxor eius de seculo migravit. Constituit namque Paris virum Francum nobilissimum, super aliis excellentissimum, Gallorum regem; a quo dicta est terra illa Francia.

Gesta Henec Troianorum ducis.

Videndum est et ad memoriam credimus fore utile reducendum, que ab Enea Troianorum *duce gesta sunt. Deleta^{*f. 17^c} autem et combusta civitate Troie, Henec Troianorum dux cum Asculfo⁴ filio eius et cum gente sua apud opidum Berit collecta iter navigandi per maris undas exulando disposuit. Fertur in agmine suo habuisse LX milia virorum bellicorum. Viri autem nobiles et magnates qui cum Henec fuerunt sunt isti: Pisius, Marsigius, Nerbonus, Tholosius, Catulus, Leridus, Barcus, Saragosius, Segodius, Elamancus, Toletus. Qui iuxta maris littora navigantes ad partes scilicet Campanie pervenerunt, ibi vero moram per annum fecerunt. Qui inde semotus per undas maris, sicut proposuerat, cum omni gente sua navigare ceperunt; Asculfum filium⁵ eius dominum ipsius terre reliquit. Navigantes ad partes Tuscie iter eorum direxerunt. Inquirentes partes illas, iuxta Arnun⁶ civitatem fecerunt, dominum ipsius terre Pisiun constituerunt, a quo civitas illa dicta est Pisis; moram ibi fecerunt per totam yemem. Mense Marcio veniente navigantes iuxta litus maris, ubi Rodanus intrat in mare, pervenerunt, ibi civitatem hedificaverunt, dominum ipsius terre Marsigium⁷ constituerunt, a quo civitas illa vocata est Marsigia. Steterunt namque ibi per annum unum, postea per fluctus maris navigantes ad litus maris terre Provincie pervenerunt; ibi civitatem construxerunt, dominum quidem ipsius terre Nerbonum fecerunt, a quo civitas illa nuncupata *est Nerbona. Deinde inquirentes terram illam hedificaverunt civitatem, dominum autem ipsius terre Tollosium^{*f. 17^d}

1) 'magnatium' hier die Hs. 2) 'parius' Hs. 3) 'condita re sua ē' Hs. 4) 'astulfo' Hs. Vielleicht ist auch hier wie unten 'Asculfo' zu emendieren. 5) Fehlt Hs. 6) 'arlum' Hs. 7) 'marugium' hier die Hs.